

**Programma, Quo Rector Universitatis Rostochiensis Christophorus Redeker,
Iuris Utrisque Doctor & P. P. Ad Exequias, Quas ... Dn. Andreae Amselio, I.U.D.
& P. P. ... Vidua Et Liberi, Hodie Hora 1. parabunt, Omnium Ordinum Cives
Academicos officiose invitat**

Rostochii: Weplingius, [ca. 1685]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742723763>


Druck Freier  Zugang





Redeker, C.,

in A. Amsel.

R. (1685.)







5.

PROGRAMMA,

^{Qvo}
RECTOR UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

CHRISTOPHORUS

REDEKER,

Juris Utriusq; Doctor & P. P.

AD EXEQVIAS,

^{Quas}
VIRISSIMO, AMPLISSIMO
CONSULTISSIMO



DI ANDREÆ

AMSELIO,

J. U. D. & P. P. & Ampliff. Facult. Jurid. p. t. Decano, nec non S. S. Ducum Meklenb. Consistorii Adseffori,

& p. t. Directori,

VIDUA ET LIBERI,

Hodie Hora I- parabunt,

Omnium Ordinum Cives Academicos

officiose invitat.



ROSTOCHII,

PRELO JOH. WEPPELINGIANO, UNIV. TIPOG.



Nondum est mensis unius
spaciū elapsū, ex quo iuimus exe-
quias Virgunculæ nitidissimæ, nunc
similes honores mœsti exhibeamus
Nobilissimo, Consultissimo ac Excellen-
tissimo Domino D. ANDREÆ
AMSELIO, Collegæ nostro conjun-
ctissimo, desideratissimoque. Quem si saltem Professore
nostræ Academiæ dicerem, satis causæ dixisse viderer,
ad ipsius exequias, debitâ cum pietate, eundas: Sed
majora & ampliora (quamquam hoc & maximum &
amplissimum sit) in eo ornamenta fuerunt, quæ debi-
tum cultum exigere & nos ad ultimos ei honores ex-
solvendos provocare possunt. Fuit enim *Dignitate*
Vir Amplissimus, eruditione Consultissimus, candore &
morum integritate Omnium Optimus. Non ficta; sed
vera hæc est hujus Viri commendatio: satis enim in o-
mnium celebritate, dum viveret, versabatur, satis bonis
notus erat, qui hoc encomium à nobis tulit. Nā non in
occulto latebat, sed se omnibus præbebat conspicien-
dum, tam peregrinis; quam inquilinis notus. Omnia
beneficia quidem, ex sententiâ Senecæ, in luce se collo-
cari volunt; sed tamen nullum theatrum virtuti con-
scientia majus est. Virtus non sola, non inhonorata;
sed velut choro & satellitio aliarum virtutum semper
stipata, semper in aliorum utilitatem & publicam salu-
tem spectat, semper variis dignitatibus augetur, & ad
sum-

summa honoris culmina evehitur. Quid igitur mi-
rum, si de Beati nostri AMSELII, cui ultimos honores
hos præstamus, solidâ virtute talia quoque prædice-
mus. Imbiberat enim, cum materno lacte, virtutes,
Majorum, quas à primis, quod ajunt in cunabulis ador-
nare & augere magno studio, magnis curarum & via-
rum difficultatibus, magnis sumptibus & impensis cona-
tus est. Virtutem veram adeptus summæ Religioni
duxisset, sibi soli vivere, si non & aliis inserviret, & com-
modis publicis studeret, facis sortem secutus, quæ aliis
lucet, ut ut lucendo consumatur. Quid enim virtus,
quæ aliis non prodest? Thesaurus absconditus, Lu-
men sub modio positum. Idolum sacrario inclusum,
Nec virtuti præmium, licet ipsa sibi, juxta Plautum, o-
ptimum sit, defuit. Nam non parvi honores Bea-
tum nostrum AMSELIUM, non simplicis dignitatis
ornamenta secuta sunt, quæ ut ordine attingam, Cur-
riculum Viræ hîc apponere placet. Natus autem
est *Collega Desideratissimus* Anno O. R. clō lōc XXV.
Qui insignis insignium virorum morte fuit annus; ut
Jacobi Magnæ Britanniæ Regis, Mauritii Nassovici, qui
alter belgiæ libertatis Camillus. Joachimi Branden-
burgici, unionis Protestantium quondam Ducis. Caro-
li V. Imperatoris & aliorum ut Henrici Meibomii Ub-
bonis Emmii &c. Insignis quoque hic annus clade
Tulliana ad Nienburgum. Hoc insigni anno natus est
Beatus noster & quidem hic Rostochii die 18, Novem-
bris,

bris. Patrem veneratus est Dominum JOHANNEM
AMSELIUM, Ampliff. Ordin. Jureconf. Secretarium
fidelissimum meritissimumq;, Matrem vero ANNAM
LUBCHEN fœminam muliebribus virtutibus con-
spiciuam. Avum Paternum Dominum ANDREAM
AMSELN, ex oppido non ignobili STEIN in Stiria
ortum, ob excitatas Religionis turbas huc delatum &
eivem hic factum. Aviam Paternam MARTAM HIL-
DERMANS fœminam omnibus animi & corporis or-
namentis decoratissimam. Avum maternum Domi-
num GEORGIUM LUBCHEN, J. U. D. & Dicasterii
Mecklenburgici Advocatum vigilantissimum. Aviam
maternam WENDULAM KORFFEN fœminam vir-
tutibus sui sexus claram, Parentibus igitur procuranti-
bus sacro fonte adpersus infans, Dei adoptatus filius,
honestis, simul per ætatem licuit, studiis est innutritus,
domiqve à Pædagogis, & publico in ludo à Præceptoribus,
omni bonæ doctrinæ genere, informatus. Anno
ætatis 16. Lubecam à parentibus mittebatur, ubi Do-
ctorum fideliumqve Magistrorum ductu magis magis-
que profecit in humanitatis studio, audiens præcipuè
per annum Virum Clarissimum & Philolog. Celeber-
rimum Dn. Magistrum Johannem Kirchmannum, qui
sequenti anno, non sine Eruditorum luctu, mortalibus
valedicebat. Trienniò ibidem exactò, migravit in E-
lectoralem Academiam, quæ in Borussia Regiomonti
est, idqve de Præceptorum, Parentum & Amicorum
Con

consilio. Hic quam diu versatus est, Professorum usus opera nec oscitanter, nec infelicitè, & ne sine optimo laborum suorum specimine discederet, sub præsidio Domini Johannis Qvistorpii, tum temporis Philosophiæ Magistri, dein S. S. Theologiæ Doctoris & Academiæ nostræ Professoris celeberrimi *Disputationem Politicam de Legibus* publicè habuit. Destinatus deinde Jurisprudentiæ Studio in Academiam Patriam rediit, ut Almæ Themidi eo se melius consecraret. Hic tam in publicis, quam privatis lectoriis & disputatoriis Collegiis ita se diligentè exhibuit, ut favorem Dominorum Professorum facillimè sibi conciliaret. Potissimum autem secutus est Dominum Doct. Joachimum Schnobelium, eo tempore apud nos Professore Juris famigeratissimū, postea Syndicū, & deniq; Consulem apud Stetinenses meritissimū, sub cujus Præsidio tres Disputationes, duas ex Juris Civ. & unam ex Jur. Feud. Collegio Disputatorio, publicè summaque cum laude defendit; Secutus est & Dominum Doctorem Nicolaum Schutziū J. U. D. & Prof. quondam Publ. quo Præside *de Injuriis & famosis Libellis* non sine laude disputavit. Cum itaque *Beatus noster* præmium laboris sui à Facultate nostra Juridica peteret; nec id ipsi denegatum. Omnium enim Facultatis nostræ Juridicæ Membrorum suffragiis honorum & Privilegiorum Doctoralium meritissimus declaratus est, & ut palam omnibus comprobaret eruditionem suam, die Mensis Februarii anni


ni 1652. præstantissimam & Intricatissimam POSSESSIONUM materiã sub hoc Beato Schurzio Examini Doctorum subjecit. Ne hoc sine laude. Moti enim eruditione *Beati nostri* Parentes optimi Johannis Rhederi Wilstriã Holsati illum in Ephorum filii, Præclaræ Expectationis Juvenis, eligerunt; cui tanta fide tantaque dexteritate præfuit, ut, ipso duce, non Juris tantum hæuerit fundamenta jam bene nominatus Johannes Rhederus, sed & Lugduni Batavorum publicè Juris Utriusque Doctor fuerit renunciatus. Cum quo deinde Angliam & Galliam perlustravit, donec inde ad subeundum Secretarii Academici munus, quod Beatus Dn. D. Hermannus Lemke, ad Professionem Juris euectus, vacans reliquerat, advocaretur. Anno igitur 1654. ad Patrios reversus Lares, id ipsum subiit & per integros novendecim annos, integrã fide administravit; Anno sequenti 1655. die 29. Maji MARGARETHAM SCHMIDES Dni. Thomæ Schmidii, Civis in hac civitate Primarii, filiam castissimo nuptiarum vinculo, sibi junxit. Nec fuit matrimonium illud sine divina benedictione, uti enim fide & amore conjugali, tanquã in dissolubili animorum nexu, concordēs vixerunt, ita quatuor filios Johannem qui anno 1660. ex hac fragilitate iterum emigravit, THOMAM, JOHANNEM, J. U. Studiosos & ANDREAM Liter. human. cultorem & tres filias ANNAM MARGARETHAM, & CA-


CATHARINAM, ex illa procreavit; Quinque igitur
superstites, optimis naturæ dotibus ornati, liberi, cum
tristissima Matre lugent obitum charissimi Patris. A mu-
nere Secretarii ad Professionem Juridicam, cum anno
1657. U. J. Licentiarus, & anno 1674. Doctor renuncia-
tus Beatus noster esset, avocavit eum anno 1676. Il-
lustrissimus, Celsissimusque Princeps ac Dominus DN.
CHRISTIANUS LUDOVICUS, Dux Meklenburgi-
cus, Dominus noster Clementissimus, & quidem in lo-
cum Beati Domini Caspari Habermanni J. U. D. & P. P.
& cum anno 1681. Professionem Pandectarum Beatus
Dn. Henricus Rudolphus Redekerus, J. U. D. & Pand.
Profess. P. Patruus verè Pater, meus desideratissimus,
suo ex hac vita discessu, vacantem fecisset ad illam ite-
rum gratiosissimè evehctus, in simulque Ducalis Confi-
storii Adessor designatus. Hoc durante officio, ad
negotia quoque publica partim hic, partim Sterneber-
gæ & Malchini celebrata, fuit adhibitus, ut & nuperri-
mè ad illa, quæ hic Rostochii inter Illustrissimos, Sere-
nissimosque Principes Meklenburgicos & Ordines
Provinciales fuere pertractata. Quibus solitâ dexte-
ritate ac fide porro interesse constituerat; Verum ad
meliora à Deo vocatus est. Nam cum decimo septi-
mo Calend. Junii adversa valetudine laborare cœpisset;
animadversa sunt sequentibus diebus varia sym-
ptomata, velut peripnevmonia cum febris acuta, conti-
nui dolores pectoris, tussis, expuitio materiæ sangvi-
ne-


ne-purulentæ, anxietas præcordiorum, summa viri-
um debilitatio, quæ omnia artem Experientissimi Me-
dici Dni. Doctoris Bernhardi Barnstorffii, Amici nostri
Colendissimi, irritam fecere. Cum igitur jam tenui
suspensam filo vitam, ac Libitinæ se peculio connume-
rari, sentiret, ad animæ Medicum devotus confugit &
plurimum Reverendum Dn. M. CARMONIUM, Pa-
storem ad ædem Jacobi meritissimum, Confessiona-
rium suum vigilantissimum, Amicum nostrum Deve-
nerandum, ad se vocari iussit, & missis piis ad Deum pre-
cibus, acceptoq; S. S. Eucharistiæ viaticò, octavo Ca-
lend. Jun. Anni dno lxxv, circa horam XI. matu-
tinam inter innumerabilia suspiria, piisque preces pla-
cide obdormivit. Cœterum luget Vidua, lugent Libe-
ri, lugent Cognati, & illum nobis Collegam fato sub-
ductum lugeamus, cujus egregias animi dotes, virtu-
tem, eruditionem & solertiam semper ex merito æsti-
mavimus, quem collegiali amore profecuti sumus. Hoc
officium beatis consultissimi Viri manibus debemus
& id nostrarum partium omnino esse credimus, ut so-
lemnia funeris publico programme indicemus, & ul-
timum *Professori meritissimo* persolvamus debitum.
Adeste igitur O Optimi cives, Vosque literarum & literatorum
Fautores Benevoli adeste & funus honorandæ Vestræ præsentia
comitemini. Quod dum facimus, Mœstissimæ Viduæ & Liberis
solatium, ac Viro Egregio quietem precamur. Conventus fiet
in æde Divo Jacobo sacra ad horam primam.

Valete.










CATHARINAM, ex illa proci
 superstites, optimis naturæ doti
 tristissima Matre lugent obitum
 nere Secretarii ad Professionem
 1657. U. J. Licentiarus, & anno 16
 tus Beatus noster esset, avocav
 lustrissimus, Celsissimusque Prin
 CHRISTIANUS LUDOVICU
 cus, Dominus noster Clementiss
 cum Beati Domini Caspari Habe
 & cum anno 1681. Professionem
 Dn. Henricus Rudolphus Redek
 Profess P. Patruus verè Pater, n
 suo ex hac vita discessu, vacante
 rum gratiosissimè euectus, in sim
 storii Adessor designatus. Ho
 negotia quoque publica partim h
 gæ & Malchini celebrata, fuit ad
 mè ad illa, quæ hic Rostochii inter
 nissimosque Principes Meklenbu
 Provinciales fuere pertractata.
 ritate ac fide porro interesse const
 meliora à Deo vocatus est. Nam
 mo Calend. Junii adversa valetud
 fer; animadversa sunt sequentibus
 romata, velut peripnevmonia cum
 nui dolores pectoris, tussis, expuit



the scale towards document

vinque igitur
 i, liberi, cum
 Patris. A mu-
 n, cum anno
 or renuncia-
 no 1676. Il-
 ominus DN,
 eklenburgi-
 videm in lo-
 U. D. & P.P.
 um Beatus
 D. & Pand.
 eratissimus,
 d illam ite-
 alis Consi-
 officio, ad
 Sterneber-
 & nuperri-
 nos, Sere-
 Ordines
 itâ dexte-
 Terum ad
 mo septi-
 re cœpif-
 aria sym-
 ta, conti-
 æ sangvi-
 ne-